

F W B

A N N O

1 6 6 0

Handwritten text on the spine edge, partially obscured.

174887



10/11

W. Nr. 3. 95.

Crocina

mit Mandeln (Käse)
vom 2-20/11-23) hier Weiblich.
im Landgrafen Buch für Hessen-Cassel
3. Cass. Kirche Buch.

L. IV. 44.



REFUTATIO

Sinceræ & Christianæ (ita nuncupatæ)

RESPONSIONIS

IOANNIS CROCII DOCTORIS

CALVINISTÆ CASSELLANI,

Ad Iteratas Literas,

QVAS

ILL.^{mus} ET CELS.^{mus} PRINCEPS

ERNESTVS

HASSIÆ LANDGRAVIVS

Ad Theologos Francofurtum Religionis causa e-
vocatos dederat,

PER

R. D. IOANNEM DE VILLEMAL,

*Ser.^{mo} Principi Carolo Lotharingia Duci à Secretis,
eiusdemq; Eleemosynario & Sacellano.*



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud IODOCUM KALCOVIUM Bibliopolam.

M. DC. LII.



Vm non ita pridem negotiorum
 quorundam causâ, in aula Dusseldorpiensi, & dein
 Coloniae subsisterem; accidit ut eodem tempore
 illuc perveniret scriptum Ioannis Crocii Doctoris
 Cassellani, contra literas quas Ill. mus & Celsiss. mus
 Princeps Ernestus Hassiæ Landgravius ad Theo-
 logos Francofurtum religionis causâ evocatos dederat. Iam pleraque
 ab eius Celsitudine ex ea occasione edita legeram; itaque cupido in-
 cessit videndi, quid Crocius in Christianâ ac sincera illa, quam vocat,
 responsione, prolaturus esset. Titulus nihil promittebat absurdi aut
 immoderati; sed scriptum ipsum neque homine sincero, nedum
 Christiano aut Theologo dignum, eo tantum collimare perspexi,
 ut Princeps apud plerosque de facti serie notitiam non habentes &
 iam tum ex præconcepta opinione minus benignè de actionibus ejus
 sentientes, post agnitam Catholicæ veritatis unitatem tanto acius
 traduceretur, præeunte in id viam & materiam calumniandi sugge-
 rente homine Theologo, qui religioni sibi esse non duxit, ea animi
 acerbitate in Principem invehi, quam sine pudore non fuisset ausus in
 parem aut etiam inferiorem exserere. Indignè igitur ferebam illam
 hæcenus mihi non visam audaciam. & cum assiduus eo tempore
 Principi adessem, nec raros de istâ cre sermone cum multis haberem,
 animadverti non tantum è Catholicis sed & ipsis Protestantibus non
 postremos, magisque circumspicos & moderatos talem agendi mo-
 dum penitus improbare, existimantes primarii istius, inter Calvinia-
 nos Doctoris partes fuisse. ad quatuor à Principe propositas quæstio-
 nes, suo ordine, & quantum fieri potuisset clarè & apertè respondere,
 atque ab inutilibus digressionibus sibi temperare, utpote quas alium
 in finem non adhibuerat, quam ut Principi apud præproperè credu-
 los & de causa hac male informatos præjudicium crearet. Ad quid
 enim opus fuisset Principis actiones, & dicta, privataeque ejus literas
 à Theologo partim mutilas aut sinistrè explicatas partim non bona
 fide aliorum raptas, cum tot malevolorum suspicionibus in sce-
 nam producere, nisi quod homo ille aliunde non inveniens, quo
 Principem vel minus accuratæ inquisitionis vel nimix festinationis
 accusaret, in istis quærendum putaverit, unde apud vulgum videretur
 non tacuisse. Omnes autem id eo iniquius esse judicabant, quanto
 A 2 magis

magis apparebat alios Theologos ad idem colloquium vocatos in tra-
 modestiæ terminos sese continuisse. Doctore quidem Calixto ad
 quatuor propositas quæstiones moderatè respondente, nec dissimi-
 lem æquitatem D. Habercornio præstante. Sed tale quid non pote-
 rat expectari ab audaci & prætervo Crocii ingenio, cui novum nota-
 erat stili sui aculeos in Principes vibrare, prout scripta in Marpurgen-
 sis successionis controversia, istam animi ejus virulentiam satis te-
 stantur. Multorum itaque tam Catholicorum quam Protestantium
 opinio fuit, Crocium in plerisque excedentem, in responsione vero
 ad quatuor quæstiones deficientem responsum non mereri, præser-
 tim cum Principis actiones, supra qualvis malignorum obreccatio-
 nes tam alte emineant, ut nec Crocii mordacitas, nec Vesaliensium
 Prædicantium inconditi clamores eo pertingere possint. Cum ta-
 men ex frequentibus colloquiis de hoc negotio habitis pleraque re-
 sciverim, quæ ab alijs fortè non tangenda, conducere poterant ad ve-
 ritatem asserendam, nolui ea supprimere, ne fortè suspiciones à Cro-
 cio undique seminatæ diutius ignarorum animis inhaereant, & Do-
 ctor ille gloriatur, se suam maledicendi libidinem impune exercuisse
 in Principem cui ego tum propter amicitiam quæ illi cum Serenissi-
 mo Lotharingiæ Duce Carolo, Domino meo intercedit, tum priva-
 to quoque nomine ob non exigua in me merita, hoc qualecunque de-
 votionis officium debere putabam. Eadem autem occasione aliqua
 addere non verebor, quæ necessaria videbuntur refutandis iis cavil-
 lationibus quibus Crocius Catholicæ veritatis lumini hinc inde of-
 ficere nititur.

Sub initium cum S. Gregorio Nazianzeno libertatem loquen-
 di postulat, sed modestiam in loquendo non præstat, omnis honoris
 oblitus qui Principibus deberi solet. Quod si ipse ferendum sibi non
 putaret, si quis sub velamine petitiæ libertatis loquendi, quidvis in ip-
 sum effurire vellet: quid sibi existimat expectandum à Principe non
 minus prudenti quam generoso, cujus honorem sub simili prætextu
 non modicè læsit. Sed sufficere sibi putat Princeps si contemptu via-
 dicet insaniam hominis maledictis assueti; ut non æmuletur super-
 malignantem neque zelum assumat super operarium iniquitatis; ut
 cum Regio Propheta dicat: *Non tradas me calumniantibus me.*

Certè tanta fuit hominis illius amarulentia, ut non ambiguis
 indiciis constet illos qui Ser. mo Principi Wilhelmo à consiliis sunt
 seditatem scripti Theologici exotos, pleraque inde maledicta tolli
 juste

9.
jussisse, quæ Crocius alias genio suo indulgens multo atrociora con-
gesserat. Dicit dein, se nec in tempus, nec in occasionem conceptor-
um & fotorum scrupulorum velle inquirere: obliquè indicans, quod
aperto ore non audeat proferte. Præstitisset rotundè dixisse illud tem-
pus, illam occasionem quæsitam fuisse, quando Princeps Ernestus
nonnullas difficultates habuit cum Principe Wilhelmo, præstitisset
& illam conjecturam addidisse, quod concepti fortique sint scrupuli,
ut favorem apud Cæsarem obtineret Princeps Ernestus: hoc enim
totum paucis verbis intra dentes deblaterat Theologus. Sed quis ig-
norat, hucusque nullum Principem, nullum Comitem, nullum No-
bilem, nullum ferè privatum ex parte Calvinianorum ad Ecclesiam
Catholicam redivisse; qui caninos maledicorum dentes non debue-
rit experiri? Eiusmodi susurrationses apud nonnullos è vulgò, uti & a-
pud male volos, aut aliorum partibus addictos locum inveniunt, ge-
nerosas animas, & quibus cõstat, quæ qualisq; fuerit Principis Ernesti
conversatio, non conturbant. Qui etiam cum Crocio affectibus suis
non indulgens, & mente non præoccupata rationes politicas consi-
derant, facile perspiciunt, si politica attendenda fuissent, & fuisse &
nunc esse rationes, cur potius apud Protestantes remaneret, quàm ad
Catholicos se conferret. Sed necesse non est in gratiam Crocij hæc
latius deducere; maxime cum Princeps nulli teneatur rationem red-
dere, quàm iustitiæ divinæ; ipsius etiam conscientia ab iniurijs
eiusmodi calumnijs credatur esse tutissima.

Post exordium iniquâ cavillatione contaminatum; sequitur
plenus arrogantia agendi modus, in quo tanto cum fastu & superci-
lio Doctor ille in Principis actiones inquit, tanquam si dictaturam
exerceret in aliquem è Scholis aut collegiis suis prodeuntem novitum
Prædicantem: sed propius videamus tum modestiam, tum acumen
Doctore, viri Theologi.

Primum dubium Principis Landgravij fuit: *Quod quisq; è sacro* ^{1. Dubit.}
textu de doctrina fidei censere possit, tamen si ea sub anathemate proponatur à ^{Principis.}
consilio, verò generali, quod scrutinium Princeps expertus sit impossibile.

Quid hic Crocius? Miror, hoc te tam excellentis ingenij, tam acris iudicij,
tam varia lectionis Principem anxissè? Si tamè anxie. At ego & quilibet mo-
derati mecum multò magis admirandum putant, quod Doctor Theo-
logus, qui se humiliter scripturum promittit, tam parum in doctrina ^{pag. 9.}
Christi profecerit, ut malit imitari perversitatem iudæ, osculo Domi-
num suum prodentis, quàm Magistri mansuetudinam. Osculum

præbes; quando Principem laudas ab ingenio, à iudicio, à lectione: & rursum percutis, (quem vocas *Dominum Clementissimum*) quando dicis; *Si tamen anxio*: quasi tibi, magno cordium scrutatori, & in iura divina involanti certissimò constaret, non hoc anxio Principem, quod ipse Princeps declarat anxio.

Quæstio Principis indubiè intelligitur de sacro textu secundum se: de doctrina fidei, tum à cuius notitia salus dependet, tum quam negare non licet sine salutis præiudicio: de iudicio discretionis, cui quis tutò salutem suam æternam committat: de impossibilitate facti, & impossibilitate ex principiis doctrinæ Calvinianæ.

Non negat cuiquam Princeps iudicium discretionis; sed dicit per iudicium discretionis ex sola Scriptura tam certò non posse per quemlibet determinari credenda, ut quis tutò ei determinationi salutem suam æternam & damnationem committat. Hoc verissimum esse, censuerunt illi ex SS. Patribus, qui nos nolunt adversari Ecclesiasticæ traditioni; sine qua privata cuiusque opinio in errorem salutis noxium facillè dilabitur. Rectè S. Clemens Alexandrinus: *Quemadmodum si quis fiat bestia ex homine, similiter atque ij, qui fuerunt infecti venenis Circes: ita homo, Dei esse, & Domino fidelis esse perdidit, qui adversus Ecclesiasticam recalcitravit traditionem, & in humanarum hereseon desiluit opiniones.* Fideles enim intelligunt S. Scripturam iuxta Ecclesiasticam traditionem; hoc est, iuxta illud, quod ab initio est traditum in Ecclesia. Et sic eam intelligentes cum Ecclesia; meritò dicant cum eodem Clemente, (quod Crocius voluit opponere) *Non simpliciter enuntiatis hominibus fidem habeamus, adversus quos & nobis enunciare (asserere) ex æquo licet. Si autem non sufficit simpliciter dicere, quod videtur, sed oportet, etiam probare, quod dictum est, non expectamus testimonium, quod datur ab hominibus, sed voce Domini probamus, quod queritur; quæ est magis fide digna quam quævis demonstratio; vel potius quæ est sola demonstratio, per quam scientiam, qui solus gustare scripturas, sunt fideles.* Vbi non vult dicere, gustatis solis Scripturis, quemcunque posse determinare per iudicium discretionis, quæ sint necessaria ad salutem, & posse fieri fidelem: Sed de ijs loquitur, qui sic intelligunt Scripturas, ut Ecclesiasticæ non recalcitrent traditioni; quomodo universa simpliciter, ex præcepto divino, omnibus necessaria de Scripturis probari posse, nostri non dissententur.

Non

Lib. 7.
Sero pag.
757. A.

Non diverso modo procedit S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. Mistag. 2. ubi refert baptizatos ungi oleo exorcisato, quod perspicaces Calvinistæ inter magicas referunt superstitiones, Ibid. C. refert insufflationes: quarum & S. Augustinus frequenter meminit. Ibid. E. eas traditiones commendat. Catech. 3. agit de unctione Chrismatismatis in fronte: & S. Cyprianus tradit (Epist. 12. lib. 1.) Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit. Catech. 5. refert cœremonias Missæ; docet orationes per deprecationem Sanctorum demortuorum suscipiendas; tradit orationes pro defunctis, quibus pro sit oblatum sacrificium. Et post multa concludit: *Retinete has traditiones, & sine ullo offendiculo vosmet servate, atque à Communionem vos non pracidatis.* Hunc S. Patrem allegat Crocius, ut ex eo intelligat Celsissimus Princeps, posse unumquemque è sacro textu de doctrina fidei censere, tamen si ea proponatur sub anathemate à concilio verè generali. Quem S. Patrem, cum Principi magistrum & instructorem dederit Crocius; mirum videri non debet, si ad eum manudente Theologo Calviniano, perspexerit esse meras calumnias, quas illi adversus oleum exorcisatum, adversus insufflationes, adversus unctionem chrismatismatis in fronte confidenter iactant. Mirum videri non debet, quod Princeps reveretur cœremonias Missæ; quod confidat deprecationes suas per deprecationem Sanctorum demortuorum, sed Deo viventium suscipiendas; quod oret pro defunctis, quibus credat prodesse oblatum sacrificium; quod istas retineat traditiones; quod statuat ad eam communionem redeundam esse, à qua Calviniani sese præciderunt; nam suadente Crocio ad S. Cyrillum eundum est, atque ab eo discendum, an unusquisque è sacro textu de doctrina fidei censere possit, tamen si ea proponatur sub anathemate à Concilio verè generali. Cumque à Concilio vere generali proponantur ceremoniæ Baptismi, ceremoniæ Missæ, eiusque sacrificium propitiatorium pro vivis & defunctis; orationesque pro mortuis: consulente & commendante Crocio, sequendum est hac in re iudicium S. Cyrilli.

Cæterum agens de mysterio SS. Trinitatis, dicit S. Cyrillus, id quod allegat Crocius: *Hoc semper in mente signaculum retineto, quod tibi iam nunc per summa capita leviter propositum est; deinceps autem, si Dominus concesserit, exponetur pro viribus, cum demonstratione ex Scriptura. Oportet enim ne minimum quidem aliquid tradere de Sanctis & divinis*

fideis

Bibl. SS.
Patr. T. 6. 4.
pag. 452. B.

Pag. 453.
A.

Pag. 454.
E.

Pag. 455.
D.

Pag. 55.

Catech. 11.
lumin. 4.

fidei mysterijs, absque divinis scripturis: neque moveri probabilibus sermonum compositionibus. Ac ne mihi quidem hac dicenti fidem adhibeto, nisi accepta eorum, quae proponuntur, demonstratione è sacris scripturis. Haec est enim ratio conservanda nostrae fidei, quae ducitur non ex ingenioso acumine, sed ex demonstratione divinarum scripturarum. Vbi patet, S. Cyrillum agere de particulari mysterio SS. Trinitatis; nec ullâ ratione ista excludere, quae habentur ex traditione, uti ostensum est.

De Par-
dis. cap. 12.

Simili fundamento dicit S. Ambrosius, quem allegat Crocius: Sunt multa, quae noceant, si ante voluerimus haurire, quam quae sint illa cognoscere. Nam & de cibis & potu plerumque usu venit. Quippe si id, quod amarum est, antè cognoscas, indues patientiam; & si intelligas ea, quae sunt amara, prodesse, & indues tolerantiam, ne offendant amaritudo te repentina, & incipias rejicere profutura. Prodest ergò antè cognoscere, ut ex eo, quod cognoveris profuturum, nec amara fastidias. Sed hac minùs nocere possunt. Illud, quod magis, nisi provideatur, nocere potest, advertite. Gentilis quidè est, ad fidem tēdit. Catechumenus est, maiore vult adijcere doctrinae & fidei amplitudinē. Caveat, ne dum vult discere, malè discat à Fotino, discat ab Arrio, discat à Sabellio: tradat se huiusmodi magistris, quorū cum quaedam teneat auctoritas; & indoctus quaedam magistrorū praesumptione, teneris sensibus ingressa diiudicare non noverit. Prius igitur oculis mentis perspiciat, quid sequatur. Videat, ubi vita sit. Tangat demique divinarum vitalia lectionum, ut nullo pravo offendantur interprete. Hoc consilium exactè secutus est Princeps Landgravius, qui in seipso agnoscens teneros sensus, statuit se ex sacro textu de doctrina fidei, quae sub anathemate à concilio verè generali proponitur, tam certò censere non posse, ut ei discretionem salutem suam aut damnationem aeternam vellet commissam. Quoad tenebatur magistrorum Calvinianorum auctoritate, existimavit se posse, quod non poterat; & quaedam magistrorum suorum inductus praesumptione, hoc de seipso praesumebat, quod illi volebant, non agnoscens sensuum suorum teneritudinem. Sed tandem censuit, prius mente perspicendum esse: quid sequeretur: Videndum esse, ubi vita sit. Tetigit divinarum vitalia lectionum; Et mox invenit:

Ion. 17. 20. Non pro eis tantum rogo, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus quia tu me misisti. Ac ne quo pravo offendetetur;

In cap. 17.

Ioan. Hom.

31. pag.

123. B.

Ion. 17. 23.

interprete, adhibuit explicationem S. Chrysostomi: Ut cognoscat mundus quia tu me misisti. Frequenter hoc dicit, ut potentio rem pacem quam signa ad persuadendum demonstrat. Rursum invenit: Ego in eis, & tu in me: ut sint con-
summati in unum: & cognoscat mundus, quia tu me misisti. Et ne quo pravo
offen-

offenderetur interprete, adhibuit S. Cyrillum Alexandrinum: Signum
inquit (Dominus) certissimum & indubitatum erit vos meos esse discipulos, si
quantum natura vestra & humanitatis conditio capere potest, mea vita vestigia

sequamini, ut ita à mutua charitatis vinculo disiungamini. Iterum invenit
Princeps: In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habue-

ritis ad invicem. Et ne quo pravo offenderetur interprete adhibuit S.
Augustinum: In hoc cognoscent, inquit, omnes, quia discipuli mei estis, si dile-
ctionem habueritis ad invicem: tanquam diceret, alia munera habens vobiscum
etiam non mei, non solum naturam, vitam, sensus, rationem & eam salutem
que hominibus pecoribusque communis est. Verum etiam linguas, Sacramentum
Prophetiam, scientiam, fidem, distributionem rerum suorum pauperibus, & tra-
ditionem corporis sui ut ardeant, sed quoniam charitatem non habent, ut cyn-
bala concrepant, nihil sunt, nihil illis prodest: non ergo in illis quamvis bonis mu-
neribus meis, quæ etiam habere possunt non discipuli mei, sed in hoc cognoscere
omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. & mox:

Charitas in delicijs tuis, ipsa non comperdit cum impijs animam tuam: ipsa discer-
nit causam tuam. Atque ab eodem S. Augustino didicit: Non habent Dei

charitatem, qui Ecclesie non diligunt unitatem. Ab eodem didicit: Quia protende-
bat Ecclesiam per omnes gentes futuram, nec quemquam accepturum Spiritum

sanctum, nisi qui eius unitati copularetur. Quid ergo Principi iudicandum
fuit, postquam vitalia tetigit Scripturarum; postquam sollicitè cavet,

ne quo pravo offenderetur interprete; postquam vidit partes Luthe-
ranas, Calvinianas & alias ab unitate prioris charitatis, à commu-
nitione Ecclesie Romanæ divisas? Iuxta idem monitum S. Ambrosij,

Celsissimus Princeps, præmissis frequentissimis precibus, scrutatus
est Scripturas, & ne quo pravo offenderetur interprete, Sanctorum
Patrum adhibuit explicationem: quibus omnibus debitè ponderatis,

eius Ecclesie se condidit gremio, quæ usque ad confessionem generis
humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra
hæreticis circumlattrantibus; & partim plebis ipsius iudicio, partim

Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maiestate dam-
natis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare vel sum-
mo profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. Ita Cels. mus Princeps

à Theologo Calviniano ad ss. Patres pro resolutione dubij sui remisit;
obsequens monenti, Catholicam invenit, credidit, secutus est veritatem.

Alterum Principis dubium fuit; An S. Scriptura in fidei essentialibus
sit clara? Miratur Crocius, hinc hætere Principem, postquam veterum
Patrum scripta cœpit manu assidua versare: idè ad Patres remittitur,
ab iis instruendus.

Lib. 9. in
Ioan. pag.
752. A. B.
Ioan. 15. 38
Tract. 65.
Ioan. pag.
170. C.

Lib. 3. de
baptis.
contr. Do-
nae. ca. 16
pag. 74. A.
Lib. 2. cō-
tr. Crescō.
cap. 14.
pag. 127.
C.

2. Dubiū
Principis,
Pag. 5.

B

lam

Rom. 3. in 2. Tim. Tom. 12. pag. 552. C. Jam didicerat ex S. Chrylostomo Princeps: Non modo per litteras sed etiam verbis discipulo, quae essent agenda, dicitur (Apostolus) quod plurimis & alijs in locis ostendit, dicens: siue per verbum, siue per epistolam, quasi per nos missam. Hoc & hic multo magis facit, ut igitur minus aliquid doctrinae habere putemus: plurima ipsi absque scripto tradidit, quae illi modo ad memoriam revocans, dicit: Formam habes sanorum verborum, quae à me audisti, quid autem hoc sibi vult? Pictorum, inquit, more imaginem virtutis tibi impressimus, & omnium quae Deo grata sunt, veluti normam, priuatamque formam, tua indidimus anima, haec igitur habeto firmiter, & siue de fide, siue de charitate, siue de castitate, opus sit aliquid eloqui, ac definire. (an hic nihil ad salutem necessarium?) inde (ex verbo non scripto) tibi exemplaria accipe.

Rom. 9. in 2. Thes. Tom. 1. pag. 386. D. Crocius allegat S. Chrylost. dicentem: Omnia sunt dilucida & recta, quae sunt in divinis scripturis manifesta sunt, quaecumque sunt necessaria. non est eximandum, S. Chrylostomum putasse, quemque posse iudicio discretionis ex sola Scriptura, tanquam in essentialibus fidei clara, de doctrina fidei censere: ita enim, sibi ipsi contradixisset. Hoc igitur voluit, habens concionem ad Catholicos: quod fidelibus manifesta essent illa, quae sunt ad salutem necessaria: fidelibus, inquam, traditionem ample-

Rom. 4. in 2. ad Thes. Tom. 12. pag. 386. D. tentibus, & secundum traditionem Scripturam intelligentibus: quibus alio loco dicit: itaque, fratres, state, & tenete traditiones quas didicistis siue per sermonem, siue per Epistolam nostram. Hinc est perspicuum, quod non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis: & ea sunt quoque fide digna. Quamobrem Ecclesia quoque traditionem censemus esse fide dignam. est traditio: nihil quaeras amplius.

Lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 25. pag. 263. B. C. Didicerat Celsissimus Princeps ex S. Augustino: Consuetudo Matris Ecclesiae in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est; neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio. Et

De veril. cred. cap. 17. pag. 45. A. quoad intellectum Scripturae. Si unquam disciplina, quamquam vilis & facilis, ut percipi possit doctorem aut magistrum requirit, quid temeraria superbia: plenius, quam divinorum Sacramentorum Libros, & ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare? Quando igitur Crocius hunc lo-

Lib. 2. de Doct. Chr. cap. 9. cum S. Augustini producit: In his, quae aperte in scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quae continent fidem moresque vivendi, spem scilicet atque charitatem. Non dubitat Princeps, quin agatur de aperte positis, si in-

Contr. Crescon. Lib. 1. cap. 37. pag. 168. B. telligantur iuxta unanimem Ecclesiae consensum; non autem, si intelligantur iuxta priuatam cuiusque iudicium discretionis. Vbi enim illud iudicium, seposito Ecclesiae consensu, invenit parvulorum baptismum aperte positum? ubi invenit, baptismum ab haereticis collatum esse validum? Et tamen de ea quaestione dicit S. Aug: sequamur, sane nos in hac re Canonica auctoritate Scrip-

Scripturarum & postea: Quamvis huius rei de Scripturis Canonicis non pro-
feratur exemplum, earundem tamen Scripturarum, etiam in hac re à nobis tene-
tur veritas, cum hoc facimus, quod univ[er]sa iam placuit Ecclesia, quam ipsarum
Scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam S. Scriptura fallere non potest,
quisquis falli metuit, huius obscuritate questionis eandem Ecclesiam de illa con-
sulat, quam sine ulla ambiguitate S. Scriptura demonstrat. Hoc consilio usus
est perspicacissimus Princeps; videntque multa esse definita per con-
cilia generalia, quæ à Protestantibus in contrariam partem vel nega-
bantur, vel astruebantur; ne nimium tribueret privato discretionis iu-
dicio, falli metuens variarum obscuritate questionum, Ecclesiam de
illis consuluit, quam sine ulla ambiguitate S. Scriptura demonstra-
bat; certo sciens, se canonicarum auctoritatem Scripturarum sequi;
ideoque se earum tenere veritatem, quæ Ecclesiæ commendabant
auctoritatem.

Legerat ex S. Epiphano Princeps Landgravius: Sed & traditione quo
que opus est. Neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto; tra-
ditione alia sanctissimi Apostoli relinquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat.
Quemadmodum tradidi vobis. Item alio loco: Ita docco, & ita tradidi
in Ecclesijs. Itē. Si meministis: nisi frustra credidistis. Iam verò illud ab A-
postolis sancta Dei Ecclesia traditum accepit: post decretam virginitatē ad nuptias
se se conferre, scelere implicatū videri. Notitia istius legis necessaria est, vo-
ventibus Dei virginitatem. Quid Crocius ex Epiphano? Omnia clara
sunt in divina scriptura, his qui piā ratiocinatione divino sermoni attendere vo-
lunt, non verò concepta in seipsis diabolicā operatione, se ipsos precipites dare in
barathrum mortis. O quam Catholica est hæc viri Sancti sententia! No-
luit Princeps, conceptā in seipso diabolicā operatione: se precipitem
dare in barathrum mortis; sed voluit, iuxta mandatum S. Epiphani, piā
ratiocinatione divino sermoni attendere: & cum S. Epiphano
totoque S. Patrum choro credere, traditione quoque opus esse, &
sic omnia esse clara in divina scriptura, quæ ad salutem nostram per-
tinent. Ita non veretur loqui cum eodem sancto: Necessario facere illud
(orare pro mortuis) Ecclesiam dico: qua traditum sibi ritum illum à maiori-
bus accepit.

Hoc ergò suis hucusq; monitionibus efficit Crocius, ut Ser. mus &
Cell. mus Princeps magis magisque in agnita veritate confirmetur; cui
iam perspectum erat, quod dicit S. Basilius: Dogmata & instituta quæ in
Ecclesia prædicantur, quadam habemus è doctrina scripto prodita, quadam
transus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recep-
imus.

Ibid. cap.
33. C.Heres. 76.
Tim. 2.
pag. 511. A.
1. Cor. 11.
2. 1. Cor.
15. 30.

Heres. 76.

Heres. 76.
pag. 912.
A.De Spirit.
S. cap. 27.
pag. 351.
C.

omnium: quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, qua sint iura Ecclesiastica. Nam si consuetudines, qua scripto prodita non sunt, tanquam haud multum habentes momenti (ut nunc faciunt Calvinistæ) conemur rejicere, imprudentes gravissimum Evangelio detrimentum inferemus, imò potius ipsam fidem prædicationem ad nudum nomen contrahemus. & ratio est, quia sensus verborum Evangelicorum ex traditione & usu Ecclesiæ perpetuo est accipiendus. Vide *ibid.* pag. 353. D. Tertullian. de coron. milit. cap. 4. Origen. in cap. 6. ad Rom.

3. Dubiū
Principis.
Pag. 7.

Tertium Principis dubium fuit: An Ecclesia à 1400. annis admisisset plerumque hæreses, quam in sacris literis sciat appellari columnam & firmamentum veritatis. Hic non ignorat Crocius, unde hoc dubium sit conceptum; dicitque non esse Calvinianorum dogma, qui non ita sentiunt de universali Ecclesia, dicit Ecclesiam Romanam non tanto tempore plerasque admisisse hæreses. Sed Celsissimus Princeps, qui noverat Ecclesiam universalem visibilem vocari columnam & firmamentum veritatis, quemque non latebant fictiones Calvinianæ de visibilitate Ecclesiæ; cum sciret inchoantibus prætentam reformationem Luthe- ro, Zwinglio & alijs, nullam tunc fuisse particularem Ecclesiam visibilem, quam isti magistri non accusarent, quasi à 1400. annis admisisset plerasque hæreses, non quidem uno eodemque omnes tempore, sed successivè nunc has nunc illas, singulas tamen fundamentali doctrinæ adversas; mirari satis non potuit, quomodo isti Doctores credant, Ecclesiam universalem esse columnam & firmamentum veritatis, nec tamen designare possint, aut velint, ubi tunc temporis ista Ecclesia universalis fuerit, veritatem necessariam docens, Sacramenta legitimè administrans errores fundamentales non admittens. Cumque iidem Doctores teneant, Ecclesiam Romano-Catholicam à multis seculis non fuisse veram Ecclesiam; quæ iudicibus Calvinianis à multis seculis plerasque hæreses fundamentum salutis subvertentes admisit & docuit; expectabat Princeps designandam Ecclesiam vel universalem vel particularem, quæ tempore susceptæ prætentæ Reformationis fuisset vera Ecclesia, columna & firmamentum veritatis; ne adversus apertissimas scripturas cogere tur dicere, Ecclesiam universalem defecisse, & plerasque hæreses admisisse. Prudenter autem sibi cavet Crocius (nam & villicus iniquitatis laudandus est) à designatione eiusmodi Ecclesiæ; quæ dici nequit non fuisse, propter manifesta Scripturæ testimonia; & cui se Calviniani debuissent con-
iura.

iungere, si fuisset, ne destituti eius communione diversam adeoque Schismaticam Ecclesiam viderentur erigere.

Post dubia Principis Landgravij tenuiter discussa, pergit Crocius in miram admirationem, quod intra exiguum tempus multi auctores, de controversijs fidei scribentes legi potuerint: Sed sycophantam hic agit Crocius, qui nec ipse inter librorum suorum forulos sedens omnia illa volumina à capite ad calcem se perlegisse dicet, quæ hinc inde prout res fert, inspexit.) Non dixit Princeps, omnes illos auctores & omnia illorum opera à se integrè lectos, quos tamen omnes super controversijs magis necessarijs, magisque ventilatis consuluit; quosdam etiam, eosque non paucos, integrè & attentè perlegit.

Putat Crocius, salubrius certiusque remedium malo gliscenti adferendum fuisse per unius sacrae scripturae assiduam Lectionem; quasi id à Principe nunquam factum fuisset, qui à pluribus annis solebat annuatim Scripturam sacram pensiculatà lectione absolvere. Sed recolens, quod de SS. Basilio & Gregorio Nazianzeno scribit Ruffinus: *Ambo nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collega per annos tredecim, omnium Græcorum secularium libris remotis, Solis Scriptura divina voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam nō ex propria presumptione, sed ex maiorum scriptis, & auctoritate sequebantur, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendo regulam suscepisse constabat.* existimavit Princeps rem periculi esse plenissimā, si Scripturam sacram eiusque intelligentiā ex propria præsumptione, & privato discretionis iudicio scrutaretur; vidēs Lutheranos, Calvinianos, Socinianos & quoslibet alios sibi placentes, sibi que fidentes, in varias de iisdem rebus opiniones esse divisos; & de articulis ad salutem necessarijs, de erroribus fundamentalibus, adeò inter cuiusque Ecclesiae Doctores nihil certi esse, ut universa videantur scribi pro tempore, nihil pro veritate. Ideò ad exemplū istorum, aliorumque Sanctorum indagandam putavit divinorum librorum sententiam ex maiorum Scriptis & auctoritate, quos ipsos ex Apostolica successione intelligendo regulam fidei suscepisse constabat. Ita sacra Scriptura (quod ex S. Chrylost. profert Crocius) cum nos tale quid docere vult, seipsam exponit, & auditorē errare nō sinit. Ita oportet auditores, (quod ex S. Basilio profertur) qui sacrarū litterarū periti sunt, adhibito diligenti iudicio, ea auscultare, quæ à doctoribus dicuntur, & ex ijs ea quæ scriptura esse consentanea cognoverint, admittere, contra quæ quæ aliena repudiare. Qui autē pertinaciter eiusmodi decreta voluerint defendere, maiore in modū defugere averſariq.

Ibid.

Ibid.

Lib. II.

Hist. ca.

Hom. 13.

in Gen.

Pag. 3.

In moral.

reg. 72. 6.

1.

Nihil enim minus voluerunt isti Sancti, quam quod Crocius ex illis Principi persuasum cupit, vnius sacra Scriptura Lectione tollendas esse difficultates & dubia circa earundem Scripturarum intelligentiam.

Catech. 4.
Mystag.

Cum igitur Princeps ad exemplum SS. Patrum S. Scripturam legeret, incidens in locum, Matth. 26. Hoc est Corpus meum. &c. videnturque rem non adeo leuem esse, vt existimant Calviniani, quando Lutheranorum fraternitatem tractant; post collata alia sacra Scriptura loca legit ex S. Cyrillo Hierosolymitano (ad cuius instructionem remittebatur Princeps in precedentibus à Crocio) Cum Christus ipse sic affirmet, atq; dicat de pane: Hoc est Corpus meum: quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoq; confirmante, & dicente: Hic est Sanguis meus: quis, inquam, dubitet, & dicat non esse eius sanguinem. Et amplius: Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est Sanguini propinquum, in Cana Galilea solâ voluntate: & non erit dignus, cui credamus, quod Vinum in Sanguinem transmutaret? Quare omnium certitudine corpus, & sanguinem Christi sumamus: nam sub specie panis datur ibi corpus, & sub specie vini datur sanguis. Iterum: Sic Christophorus scribit, id est, Christum ferentes cum eius corpus, & sanguinem in membra nostra receperimus, atq; vt B. Petrus dicit, Divina natura consortes efficiemur. Rursum: Ne ergo consideres tanquam nudum panem, & nudum vinum: corpus enim est & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. Quamvis enim sensus hoc tibi suggerit: tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem iudices. Tandem: Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiam si gustus panem esse sentiat: sed esse corpus Christi: & vinum, quod à nobis conspicitur, tamen si sensui gustus vinum esse videatur: non tamen vinum, sed sanguinem Christi esse. Legit princeps ex S. Epiphanio: Videmus quod accepit Saluator in manus suas, veluti Evangelista habet, quod surrexit à cœna & accepit hoc, & cum gratias egisset, dixit, Hoc meum est, Hoc, & Hoc. Et videmus quod non equale est, neq; simile, non imagini in carne, non invisibili Deitati, non lineamentis membrorum, hoc est enim rotunda forma, & insensibile, quantum ad potentiam. Et voluit per gratiam dicere: Hoc meum est, Hoc, & Hoc: & nemo non fidem habet sermone: qui enim non credit esse ipsum verum, excidit à gratia & salute. Ab his alijsque SS. Patribus, ad quos remittitur Princeps à Crocio; securè didicit, quomodo esset in hoc negotio intelligenda Scriptura; & quod didicit, fideliter credidit, quod credidit, sine hæsitacione professus est; postquam in alijs controversijs non minùs invenit, unde acquiescerit.

Pag. 3.

Pergit Crocius; dicitque se nolle inquirere, an Princeps, ab or-
tis

15.
vis dubijs, frequentius & familiarius egerit cum Catholicis, an Calvinianis & Lutheranis. Sed nisi Crocium punxisset Celsissimi Principis cum nonnullis Catholicis ante conversionem suam de religione collatio: putasset hoc loco esse tacendum. Novi ego non exigua experientia, quomodo Calvinista, suos fratres vel minimè hæsitantes, soleat traducere usiam Papistas, si cumullo Catholicorum de religione conferant, ut ea ratione Catholicos non audeant convenire, vel ullos cum ipsis miscere sermones: Novi, quomodo à veteris Ministris varijs sine ulla instructione sint repulsi, vocatiq̃ filij Diaboli & Mamaluccæ, ideo quod vel vnam quæstionem, quam ex fortuita cum Catholico Presbytero conversatione acceperant, pastoribus suis non indoctis propaluisent resolvendam. A deo que non minor, Crocium hîc & alibi in Principe carpere, quod apud Calvinianos pro crimine habetur.

Divinat Crocius, suggestum esse colloquium; Laudat prudenter & speciosè excogitatum; nugatur frequenter de electis diversarum sententiarum Theologis, de loco, de tempore: Cùm tamen Celsissimus Princeps bonâ fide, simpliciter, & sine eiusmodi considerationibus voluerit indagare veritatem, eumq̃ adhibere modum, qui & alijs posset prodesse. Si qui iudicant, condiciones tam æquas proponi non posse, quas Calviniani acceptent; & in quibus causam se subducendi non invenerint; videntur non aberrasse; & per consequens rectissimè statuisse, nec Crocium esse venturum: Nisi enim ex Calvinianorum præscripto universa agantur, frustra cogitatur de congresso aut Colloquio ineundo. Pag. 91.

Laudat Crocius promptitudinem suam in acceptanda conference; quantum vis doleret de occasione consilij & petitionis; quantum vis colloquium propter circumstantiarum interventum, ex multis, ijsque gravibus causis, altioris esset indaginis: quantum vis suam agnoverit infirmitatem: quantum vis solus in Theologica facultate super sit, tum duobus collegijs habendis, tum alijs necessarijs occupatus laboribus; Quis non dicat huic viro mentem fuisse ad congressum? Quis dubitet de singulari promptitudine? Scripsit Crocius, se venturum, si alij accederent, se Princeps suus iuberet. Non scripserunt alij, se accessuros: ideo nec à Principe Ernesto moneri potuit Crocius. Sed cur, quod est factum Darmstadij, non est factum Cassellis, ubi maior sanguinis propinquitas, ubi religio viget Calviniana? Princeps:

ceps Darmbstadinus suorum operam obtulit, & præstitit; cum tamen esset Lutheranae addictus confessioni, & sanguine remotior; Cur idem Castellis factum non sit, viderit Crocius. An ipse, ne id fieret, procuravit? Licet & nobis ex conjecturis agere contra Theologum; quando Theologus non veretur coniecturis & ariolationibus suis indulgere adversus Principem. Cum plures ad certamen provocantur; is laudem meretur, qui alijs se subducentibus non declinat æqualem pugnam: qui verò certis conditionibus circumscriptam offert operam, si ceteri compareant, si Princeps meus clementissimus iubeat, eo ipso timorem suum prodit, maximè quando apud Principem non difficulter obtineri potest, ut iubeat: quod quidem facilius Castellis, quàm Darmbstadij, obrinendum fuisse, nemo prudens negaverit.

Pag. 10.

Sed, inquis, Princeps Ernestus *agritudinem animi ac mora tadium* discutere poterat, expensâ paulò altius consilij novitate, & magnitudine. De quo Certum, omni exemplo carere in Imperio. Quid dicis? an magnum erat negotium, consideratâ animositate tuâ, ne dicam audaciâ & temeritate, quâ penè universos soles contemnere? An magnum erat negotium, consideratâ loci propinquitate? fateor, magnum fuisse, quia agendum erat de rebus salutis aeternæ, fateor, magnum fuisse: quia agebatur de salute Principis prudentis, nec leviter his in negotijs versati. Huic si visum est, nihil in semel accepta religione innovare, nihil immutare, nisi prius viros hinc inde doctissimos haberet de fide confertentes, profectò in hoc & maiores suos, & alios Principes, minùs circumspectè ab avita Catholica fide declinantes, longo superavit intervallo: si tamen verum est, quod dicit Crocius, rem istam omni exemplo carere in Imperio.

Pag. 11.

Postea nec de conditionibus habendæ conferentiæ tacendum putavit Crocius; fuit Dñs Polhelm cum quo confidenter soles agere, qui cum exequijs defunctæ Viduæ Principis Castellis interesset, scriberet Principi Ernesto, improbatum illic fuisse, quod Princeps voluit typis descripta acta prodire in orbis theatrum. Tu dicis: *Aut non intellexit, aut interpres fuit minùs dexter.* Viderit Dñs Polhelm, quomodo tecum transigat; neque enim Principi erat præsumendum, vel malè intellectum, vel malè interpretatum. Nunc etiam illud improbas; quod *acta singulorum dierum sine mora ante colloquij finem typis impressa publicarentur.* Quod tamen non alio fine postulatum est, nisi ut multorum satisfaceret desiderio, At tu, scilicet, timebas, ne captatâ occasione abrum-

abrumperetur colloquium, cum magno alterius partis damno: ubi necdū constabat, an tibi unquā animus fuerit ad colloquiū veniendi; illaque non explices damna, quæ per abruptionem colloquij timeas.

Quod de promptitudine Patrum Capucinorum scripsit Princeps, non tangit Crocius. Dicit: *Non sumus missionarij, qui ultra accurramus non vocati.* Rectè: nam ideò ad Ethnicos convertendos nullus Prædicantium proficiscitur: Causa in promptu est; Calviniani nō accurrunt non vocati. At si Apostoli non accurrissent non vocati, non recepisset Evangelium orbis universus; Si S. Bonifacius non accurrisset non vocatus, nō adeò fuisset dilatata per Germaniam nostram veritas Evangelica. Observavit olim Tertullianus; non hoc agere Hæreticos, ut Ethnicos convertant, sed vt Catholicos pervertant; non hoc agere, vt iacentes erigant, sed vt stantes deiiciant. Quo igitur loco habendus erit Crocius cum suis, qui non accurrunt non vocati, ideoque à conversione Ethnicorum planè abstinent? *Missionarij non sunt:* Iterum rectè: nam Calviniani à seipsis incipientes, & schismaticam Ecclesiam erigentes, cum careant origine, omni carent missione: Apud quos invenias Presbyteros Laicos, Diaconos Laicos, nescio an ad annum ordinatos, certè ad determinatum Solis cursum amovendos; ut etiamnum in illis verum sit, quod in hæreticis, sui temporis observat. Tertullianus, nullibi facilius profici, quàm in castris rebellium, ubi hodie est alius Episcopus, cras alius: hodie Presbyter, qui cras Laicus; hodie Diaconus, qui cras Lector. *Missionarij non sunt.* Malè: non enim carent, saltem prætensâ missione Calviniani; nisi fortè dicant cū Socinianis, se nō indigere missione. *Non vltro accurrunt nō vocati.* Etiā malè: constat enim ex initijs Calvinianis, an per Germaniam nō accurrerint non vocati; an Catholicos, imò & Lutheranos non extruserint.

Crocus in ea est sententia, ut putet non abnuendum esse congressum Theologicum, quamvis Princeps Calvinianam confessionem palam eiurasset: sed benè est, quod in sequentibus adijcias conditionem, te compariturum iubente Principe, cuius negationem procurare tibi promptum est. Vbi rursus monebitur Crocius, ut compareat, cōstabit de eius vel promptitudine, vel tergiversatione.

Interim indignum est Theologo quod scribit: *Te multos varijs in locis pro Papistis addicto habere, audio: Qui pro verè Catholico amplius habeant, non multos audio. Et sanè nostræ religioni constantè adherere, iam diu est, quod mihi, qui inter Librorum sedeo forulos, nullo certo evidentiq; apparuit iudicio.* Ipse Crocius antea dicebat Principi: *Es tui iuris; nec nobis reddere teneris*

Depra-
script. cap.
42.

Depra-
script. cap.
41.

Pag. 16.

Pag. 11.

Pag. 15. &

Pag. 17.

Pag. 11.

Pag. 3.



conversacionis tuae rationem. Nunc autem exprobrandum est, quod Calviniano Pontifici, inter librorum ferulos sedenti, nullo certo evidentiq; indicio, à multo tempore apparuerit, Principem confessioni Calvinianæ constanter adherere. Audiat ille non multos, qui Principem pro verè Catholico habeant: nullus mirabitur, id Crocium non audire, inter illos agentem, quibus verus Catholicismus vel odio est, vel non perspectus. Verum si Moguntiam, si Coloniam, si Treviros excurrit, plurimos audiet, qui Principem pro verè Catholico habeant, quorū etiā indicia plaris facienda sunt, quàm nonnullorū Calvinianorū, adhuc dum ignorantium, in quo verum Catholicismū constituent.

Pag. 170.

Existimat Crocius, sibi immeritò proponi exemplum Pastoris Evangelici, qui sciat, se pro Pastore Principis nunquam esse agniti. Et tamè quarulè obijcit, sibi, inter librorum ferulos sedenti, à multo tempore, nullo certo evidentiq; apparere indicio, Principem constanter Calvinianismo adherere. Sic universa confunduntur, quasi Crocius Pastor sit, ubi sugillanda sunt actiones Principis: & rursus Pastor non sit, quo conferentiam de religione declinet.

Ibid.

Gravius etiam insultat Principi, quando dicit: *Sunt, qui existimant, te in speciem tantum colloquium petisse, ut habeant homines, de quo loquantur. Sunt qui iudicent, trium diversarum opinionum homines, antagonistarum consilio, datā operā esse evocatas, an rixas inter illos possent cieri. Sunt qui putent, apostasia publice velum queri. Hoc diversis in locis opinari audio etiam homines non malos, quiq; raras ingenij tui excelsi aestimant dotes. Ego me his memor officij nihil eorum affirmo, nihil tua imputo Celsitudini, de cuius, tanquam Germani Principis, magnanimitate & candore longè aliud non immeritò mihi persuadeo. Quanta in Theologo maledicendi libido! Si memoria officij tui facit, ut nihil prædictorum affirmes, nihil imputes suæ Celsitudini, de cuius, tanquam Germani Principis, magnanimitate & candore longè aliud non immeritò tibi persuadeas: lubet interrogare, an verum dicas, an verò pro libitu fingas, ne quid dicatur gravius? Si enim id verè tibi persuaseris, ut alijs persuasum cupis, nihil eorum de magnanimitate & candore Principis esse affirmandum, quibus tandem agitated furijs hoc adversus Principem publicandum censuisti, quod iudicasti non esse affirmandum, nisi ut Iudæ proditoris tenens exemplum, sequens magisterium, sub velamine laudis acrimoniam bilis: tuæ effutires dicis, te dolenter referre, quid aliqui existiment: magno cum dolore referre, quid alij putent: At quis te coëgit, ut dolenter referres, quod memor officij tui, iudicabas non affirmandum: quis te coë-*

coë-

coëgit, ut magno cum dolore referres, quod à magnanimitate & candore Principis iudicabas esse alienum? Si enim id verè iudicasti alienum à magnanimitate & candore Principis; si verè iudicasti, id non esse affirmandum iam, te ipso iudice, aliorum vel mendacia, vel fictiones retuleris. Quis autem te coëgit, ut aliorum vel mendacia dolenter referres, vel fictiones magno cum dolore publicares? Nullus te torfit carnifex; nullus latro intentavit minas: ut contra animi tui sententiam ab alijs indignè sparsa tuo vulgares calamo. Nullam itaque passus coactionem; hoc publicandum iudicasti, quod, vel te ipso discernente, in mendacijs vel fictionibus erat numerandum; ideò tantum divulgandum, ut honori Principis detraheres, idque eò gravius, quod putasti te sub velamine laudis, & doloris, simplicium animis perverfam ingerere posse opinionem. Ego (& multi alij mecum) te auctorem illarum fictionum iudicabimus; donec alium nominaveris auctorem. Puerile commentum est, quod te dicis dolenter referre, Principem in speciem tantum colloquium petisse, ut habeant homines de quo loquantur. Qui iudicant, trium diversarum opinionum homines, antagonistarum consilio, datà operâ esse evocatos, an rixas inter illos possent cedere, ad libitum suum fingunt, quod volunt. Neque enim Princeps eam questionem proposuisset; in qua tres Theologi varijs sententijs & mentis essent, si de rixis excitandis cogitasset. Sed antagonistarum consilio id factum esse, iudicant homines perspicaces; quos nihil latet abditum: quique in concordia trium Theologorum sententia, discordiam prævident. Qui putant *Apostasia publicæ* velum quæri; sunt homines maledici & mendaces, & contra veritatem, & contra honorem Principis iniuriosi. Quis unquam (ante Crocium eisque putatores) Principem Imperij natum, ab errore ad veritatem, à Schismate ad unitatem, à Calvinismo vel Lutheranismò ad Catholicismum redeundum, publico scripto ausus fuit *Apostasia* insimulare? Nò id audebar Crocius simpliciter proferre; sed cùm ipsi contrarium persuasum esset, (credant, quæ volent) magno scilicet cum dolore retulit, *apostasia publicæ* velum quæri. Ita decet Doctorem Theologum prudenter maledicere, perexistimant; callidè iniuriari, per iudicant; subdolâ criminatione honorem Principis vellicare, per putant!

Non vult Crocius, trepidasse Theologos, inter quos ipse etiam monitus, an non placeret ad Principem, privatæ collationis causa in Rhenirupem excurrere subterfugit. *Causas*, si publicæ luci voluisses exponere, fecisses utique, quod pro honore tuo asserendo necessari-

um, Principiq; tunc nō ingrati fuisse intelligere, quod nunc super-
bè minaris, te, ipso mandante, vel priuatim deprompturū, vel publice
luci expositurū. Cæterū id in antecessum dixerō; non ad eò malè rece-
ptos esse Theologos Darmstadios, quin ipsi iudicaturi sint, Calvinia-
nos sibi monstra fingere, quibus iustè videatur à conferètia emanere.

Egit Cellissimus Princeps de habendo congressu pro sua instru-
ctiōe; & existimavit, etiam alijs, pro honore Dei & confessione ve-
ritatis, eā ratione satisfieri posse, quibus eiusmodi media frequenter
desunt: optavit insuper, ut partes dissidentes, in eadem urbe congre-
gatæ, possent experiri, quid privata colloquia dissidio religionis com-
ponendo possent conferre. Solent enim vnus eiusdemque actionis
plures esse fines compatibles: Inter quos, si Princeps primum obti-
nuisset, abundè ei fuisse satisfactū; reservatā universaliori discussione
in occasionem magis opportunam, cuius ista collatio potuisset esse
præludium, vel, ut ipse loqueris, præparatio.

Pag. 15.

Non fuisse Principianimū excitandi rixas, inter dissidentes Theo-
logos, quilibet indicabit, si ipsas quæstiones propositas inspiciat. Cū
autem de quibusdam Confessionis Calvinianæ dogmatibus dubita-
ret: referente Crocio, sesquianno, & quod excurret, à Cœna Calvinia-
na abstinuit: Hoc enim notandum fuit, quasi adversus Principem fa-
ceret: Licet alibi & maximè in Hollandia inveniantur plurimi Calvi-
niani, nunquam ad Cœnam Calvinianam accedentes: Licet etiam
Cellissimus Princeps non inquirat, cur ante aliquot annos longò sa-
tis tempore ad Cœnam Calvinianam non accesserit ipse Crocius.
Rationē dedit Princeps fratri suo natui Majori Principi Hermanno,
cur à Cœna abstineret: *Quod dubia sua eò quoq; se porrigerent: An extra Ec-
clesiā, licitè dari accipivè Sacramentum possit. & an legitimi extra eam Ministrū
dentur?* Hanc rationē cū dederit elapso Mense Maio: cur à Calvinia-
nis non est asserta veritas Ecclesiæ Calvinianæ, nisi quia non potuit?
cur non docuerunt, Calvinianos esse veros legitimosque ministros?
cur id etiamnum non tentat Crocius? sed disputavit Princeps strenuè
pro doctrina Papistica, inquit Crocius: quod si crimen est, non erit
virtus, quod in hoc scripto tam negligenter agas pro doctrina Cal-
viniana. Addit etiam: *Consilium de deherendis Evangelicorum catibus, quos
omnes sectis extra Ecclesiam constitutis accenses, & reperendis ordinarijs Eccle-
siæ pastoribus, commendasti tui amantissimis iam pridem.* Si Calvinianos cæ-
tus accensuit Princeps sectis extra Ecclesiam constitutis, non est
quod Crocius indignè ferat, quando Lutherani tantundem fa-
ciunt. Per ordinarios Ecclesiæ Ministros intellexit Princeps Archie-
pis.

piscopos Moguntinum Coloniensem & Trevirenses, a quorū com-
 munionem Calviniani nullā necessitate videbantur recessisse. Legerat
 enim in libello Daillæ: *Omnes Christiani antiqui & moderni sunt mea reli-*
gionis, unde primum erat concludere, nullā necessitate ab ordinarijs
Pastoribus esse recessum; ideoque ad illos esse redeundum: Idque eo
 magis, quod adverteret, Marci Antonij de Dominis figmentum apud
 præcipuos Reformatorem obtineret. *lis tamen non obstantibus; vo-*
 luit Princeps circumspectè procedere; & quamvis maximè hæreret
 inter Calixtinos & Catholicos, nihilominus & Calvinianum ad con-
 ferentiam de religione vocare, ne etiam malevolis videretur eorum
 cœtum præproperè deseruisse. Dicit Crocius, Calvinianos præcipuo-
 rum conciliorum generalium symbola & anathematis non rejicere: Atque
 hinc statuit Princeps, nudum esse conventum, quod excogitarunt,
 vel in Marco Antonio secuti sunt Calviniani, de articulis necessarijs
 & non necessarijs: cum præcipua Concilia generalia ijs anathema di-
 xerint, qui (iudicibus Calvinianis) non errabant in articulis necessa-
 rijs. Hinc statuit Princeps, necessariò sequendam esse alicuius Eccle-
 siæ auctoritatem, tanquam à Deo constitutam, & dirigente Deo ab
 errore immunem; cum alioquin fieri non poterit, ut antiqua Conci-
 lia illis anathema dixerint, qui (iudicibus Calvinianis) in articulis
 necessarijs non errabant. Hinc statuit Princeps; Synodam Dor-
 drechtanam non esse sequendam, quæ in parte congregata, cum toto
 corpore nullam habebat communionem. Quando hæc & similia
 volebat Princeps solidè discussa; non detinebatur Princeps ad alicu-
 jus arbitrium; sed nullum volebat extare argumentum neglecti stu-
 dii in pervestiganda veritate, & humanitatis erga illum cœtum in
 quo fuerat nutritus.

Cumq; haberet Princeps in propinquo atque etiam domi & in sti-
 pendijs suis Calvinianos quos consulere, inter quos Adolphus Fabri-
 cius, ipsi Crocio fidelis Dei servus nuncupatus, a deo non excludeba-
 tur ab aditu ad Principem, & frequentibus de religione colloquijs,
 ut dubium adhuc sit uter sæpius occasionem & ansam ad Theologi-
 cas disceptationes præbuerit? Concionatorne aulicus, an ipse Prin-
 ceps. Accivit tamen è Catholicorum etiam parte Patrem Valerianum
 ante hac notum similiter consulendum. Ab Illustrissimo & Celsissi-
 mo Landgravio Hermanno, cum ipsi aliquando adesset Frater Prin-
 ceps Ernestus, accersebatur in aulam Rotenburgeris Prædicans,
 quem Decanum illic vocant; immodestia tamen illius, sæpius ipse
 quoque Principi Hermanno experta, meritò absternit Principem.

Fides fura-
 data para-
 3. cap. 1.

Pag. 16.

Ernestum à congressu cum tali homine, quem aliàs, si rationum ponderibus & argumentis tantum decertandum fuisset, minimè fuisset veritus. De Pœta minus propitio, quirtuam compellationem tum impediverit, quæ fingis Croci, nugæ sunt, cum nec de Pœta, vel carmine ejus quicquam Principi constet. Craij autem nomen quamvis non expresseris, facile tamen liquet te de illo loqui velle, utpote cujus dotes, eloquentiam & in moralibus doctrinam non temnendam Princeps semper æstimavit & adhuc dum æstimet. At quando Princeps tribus abhinc annis Calvinii erroribus adhuc imbutus, de Angliæ negotiis, & ex vestris Principiis orto fœdissimo indepentissimo inter alia scribebat, indeque iudicaret ad Hierarchiam Ecclesiasticam esse redeundum, aliud ferè nihil reposuit Crajus quam perpetuas in Romanam sedem calumnias id quod Crocio est stimulus admovere excitandæ conscientiæ, quibus Princeps respondere non possit, tanquam si aliæ nobiliores ipsi occupationes non sint, quam ut cum quolibet Prædicante in gloriæ compositionis ferrâ reciprocare debeat. Fuisse qui consuleret ex Galliâ & Belgio vocandos esse Calvinianos Theologos: Sed necesse non erat tanto sumptu è lōginquo petere tibi solus Crocius in vicino positus, sibi videbatur sufficere. Dixit Princeps, *quævis totius Europa, imò orbis homines convenirent, omnem in unum conferrent sapientiã, linguãq; Angelorum loquerentur, tamè parum profecturos: etiam sic minus dixerit, quam quod ante Principem dixit S. Paulus: ipsos Angelos à contrario veritati testimonio perhibèdo excludēs. scripserit Princeps in utriusq; partis scriptis sic se versatū esse, sic rem totā animo completū, ut nemo quicquā adferre possit, quod ante ignoraverit: nō id scripsit Theologo, sed minus in rebus Theologicis versato. neque aliorum tunc fuit habita ratio, nisi similium. Quid egerit Fabricius Principis Concionator aulicus, illi notunt, qui interfuerunt, quique optarunt omnia in scriptum referri, quod si factum fuisset, haud dubiè multum laboris in defendendis talibus Crocio accessisset.*

At Wernerus in urbe S. Goari Calvinianorum Prædicans non tacuit satis scilicet loquax, & quod inanibus vasis proprium est, minimum tinniens. ipse autem Doctor Habercornius iudicare potest, quam profundæ eruditionis sit Wernerus ille Crocii discipulus, cuius argumenta tantæ fuerunt molis, ut in quibusdam auditoribus risum, in aliis commiserationem aut tædium excitarent in Principis certè animum altius non penetrarunt, quam illa ipsa Calviniana confirmatio, quam in Germanico exemplari Principem per manuum im-

posi-

positionem accepisse dicis, sed falleris in eo Croci, dum tale quid sibi
 unquam apud Calvinianos obtigisse Princeps non meminit, iam tum
 pro felici prælagio habens, quod usitatam aliàs confirmationem in il-
 lo cæti non acceperit, cuius profani ritus ipsi aliquando deserendi
 erant. Fortè etiam retineri in eo potuisset, si efficacia aliqua in vestra
 confirmatione, aut in Prædicantium vestrorum doctrinâ major soli-
 ditas esset. Veteres autem querelas contra Concilium Tridentinum
 à te congestas non est quod moremur, simplicioribus enim fucum
 tantum facere idoneæ sunt. Universum Galliarum regnum omnia illius
 Concilii decreta religiosè obseruat, quicquid olim in negotiis merè
 politicis quidam contra ausi fuerint, nec unquam aliquod Concilium
 habitum fuit, cui maleferiati quidam non contradixerint, aut de quo
 nemo conquestus fuerit. Ipsa illa Comaristarum Calvinianorum
 præterita Synodus Dordracena, cui tu Croci inter fuisse diceris, im-
 munis non est ab accusationibus quas Arminiani ingerunt, conque-
 rentes, ad nutum tantum quorundam decreta ejus facta fuisse. Dudi-
 ti quidem allegatione merito super sedere poteras, eodem enim
 morbo ille laboravit, quo similis farina parum compositi Ecclesiasti-
 ci, pruritu scilicet uxorem ducendi, seque à severioris disciplinæ iugo
 in promiscuam vivendi libertatem asserendi. Ut videas qui vir fuerit,
 en tibi verba Historici magnæ quondam in regno Galliarum dignitatis.

Fuit Andreas Duditius Hungarus natione, Quinquecelesiarum (quod oppidum *Florimundus*
 est Pannonia) Episcopus ob doctrinam & multarum rerum usum Imperatori *Ramundus*
 Maximiliano, dum vixit, percharus, pro quo multas de gravissimis rebus legatio- *de orig.*
 nis magna cum laude obiit. Tandem cum in legatione ad Sigismundum Au- *Haraseon*
 gustum Polonia Regem, nobilem puellam Sophiam Gonisellam nomine vidisset, *lib. 4. cap. p.*
 formæ captus pulchritudine, sic repente ejus amore exarsit, ut dum eâ potiretur
 omnia susque deque habere, adeoque religionem potius deserere decreverit, quam
 aliter ejus potiunda spes nulla esset. Non agnoscis hinc ordinariam ac tritam sex-
 omnium hereseon portam? Duditiium tamen & verecundia aliquandiu in officio
 continuit, & vana spes brevi fore, ut proculcatis Ecclesie legibus, matrimoni u-
 sus etiam Ecclesiasticis permitatur, celibatu ad Eremitas, Monachos & alios
 quibus tam durum perpetua castitatis placeret votum, ablegato. Quam ad rem
 senon exiguum momentum allaturum sperabat, ut qui doctrina non vulgaris,
 tum multarum linguarum peritiâ, & admirabili imprimis eloquentia esset in-
 structus. Quâ de re quam in Concilio Tridentino nonnullorum Patrum ani-
 mos tentasset, adeoque etiam publicè verba facere ausus esset, à cunctis exhibi-
 latus, & cum magna pudoris jacturâ domum reversus, contra leges Ec-
 cl.

clesia Sophiam predictam in matrimonium duxit, non minus postea infelix ma-
ricus, quam Coloniensis ille Archiepiscopus cum moniali sua, sequenti libro à nobis
in scenam producendus. Ex hac Sophia natus ei fuit filius, miseri senis crux &
flagellum. Sophia mortua, idem alteram uxorem duxit è Borrechiorum fami-
lia, ac primo in Poloniam, deinde in Silesiam, ubi omnium gentium Di in hono-
re erant, commigravit, in magna paupertate & miseria vitam traducens, nec ul-
lam certam religionem in tanta confusione professus, sed pariter omnes, etiam
illam, cui initio nomen dederat Calvinisticam scilicet irridens. In Epistola qua-
dam ad Bezam, qui poemata sua ipsi dedicarat, ingenuè fatetur Romanam Ec-
clesiam non ita ut novam Evangelicam, in tot factiones ac sectas distractam, &
plausibili in super venerabilis antiquitatis & perpetui consensus fundamento esse
subnixam. Quod si Patrum in doctrina consensus sit ipsa Veritas, eam procul du-
bio stare à Papistarum partibus. Ortis enim inter doctos in Papatu de quacunq;
re disputationibus, statim vel Conciliorum decretis, vel Pontificum auctoritate
controversias omnes fuisse compositas. Sic ergo heribat, sic fluctuabat Duduius,
ut nulla ei placeret religio, adeò ut pro Sacris Bibliis, Platonis libri uteretur
libenter, Credo, in hoc Iulianum apostatam imitaturus, qui in templis suis ver-
sus Homeri decantari, & Platonis libros praelegi iussit, ut Sozomenus & Nice-
phorus testantur. Satis esse aiebat Duduius, ut Christianus in Deum credat, bene
& honestè vivat, natura legem observet, amet virtutem & fugiat vitia. nec ubi
alià opus esse ad salutem suam cuique procurantium religione. Mortem deinde
eum obiisse Urarislaviae dicit, non tanquam Christianum, sed Philo-
sophum, nullamque religionem habentem. unde mirum non est tali
homini Concilium Tridentinum displicuisse, qui ipsam quoq; Christi
divinitatem negavit, omniaque sacra susque deque habuit.

In sequentibus pagellis agit Crocius de quaestionibus ulteriori-
 bus à Principe propositis, verum mihi animus non est, aliis materiam
 principalem præripere, sed me intra ea continere, quæ existimavi ab
 aliis non tangenda esse. Neque indignè ferent Domini Protestantes,
 quod cæterum Calvinianum suo nomine appellaverim. cum & à Lu-
 theranis ita soleat designari, Crocius autem nos nullo alio quam Pa-
 pistarum dignetur nomine. Unum adhuc est, mi Croci, de quo ante-
 quam finiam, monere te volui, ut si fortè plura in fidei controversiis
 posthac scribere voles, memor tum sis eius moderationis & mode-
 stia, quæ Theologum decet, teque intra limites contineas Theologi-
 cæ disputationis. Cave autem ut posthac linguam professoriam aut
 etiam calamum exercere velis in sugillandis Principis actionibus, e-
 iusque Censorem aut potius obrectatorem agere. Omnes boni id
 vitio

vitio tibi vertent, & desipis si credis talia approbatum iri ab Ill. mo
 & Cels. mo Principe Wilhelmo Landgravio, Domino tuo, cuius al-
 tiore est magnanimitas, quam ut artibus istis tuis delectari possit. an-
 nesci mali exempli rem eam haberi inter Principes, qui haud dubie
 in mutuam aliquando concordiam coibunt, tibi deinde amarulen-
 tia tua & infantie pœnitentiam relicturi. nec enim facile animo exci-
 dere patiuntur iniurias violatæ dignitatis & honoris natalibus illo-
 rum debiti. Hæc quidem te, rerum harum veterem & in aulis Prin-
 cipum non rudem latere haud poterant, sed cum immemor esse vi-
 dearis, admonendus merito fuisti. Volebam autem quam primum
 mihi tuum videre scriptum contigit, hæc confestim reponere, sed
 dum Colonia avocatus alijsque dein negotiis intentus huic rei inhæ-
 rere non possum, in solatium moræ istius, quam ob metum iactantiæ
 tuæ tanquam si nemo respondere tibi auderet, ægrè ad modum fere-
 bam, commodum accidit, ut *Considerata à Te Catholicorum Theologo-
 rum Actio Secunda* mihi inopinatò transmitteretur. Quamvis autem
 animus mihi non sit P. Valeriani patrocinium suscipere, cum ipse sibi
 sufficiat nec etiam respondere detrectet, quando cunque res fidei
 cum decore & honestate tractantur. Prævidens tamen futurum, ut
 ille pro animi sui magnitudine divagationes tuas & scommata con-
 temnat, scriptum hoc tuum, quod fastu minimè Theologico intra bi-
 duum elaboratum esse gloriaris, breviter perstringere volui. Quæso
 autem quid tantâ loquacitate persuasum universis cupis, tuum pro
 Francofurtensi colloquio fervorem atque Zelum. Eras tui juris, qui
 poterat emanere sine dedecore, atque etiam venire cum honore, nisi
 maluisses dedecus pro honore referre, quem nunc ex inanimi multi lo-
 quio captas; Mihi quidem nec bellicarum artium, nec aulicarum con-
 suetudinum planè ignaro, timorem tuum nimis apertè prodis, dum
 clypeum fidei tuæ non ausus producere, de conflictus tantum modo,
 sine modo disputas, nec perspicuè profers, *Quid illud sit, unde possimus
 nobis cauere ab erroribus Ecclesie docentis.* Non sufficit sinceritatem tuam
 de prædicare, & simplex tuendæ veritatis studium. Generosus animus
 non veretur in bona causa detrahere atque exuere thoracem, mani-
 festans quid defendat, atque sinceritatem suam malens in operibus
 elucescere, quam multis verborum involucriis ac officiiis obtegere.
 Nobis intra Catholicæ Ecclesie septa ac munimenta constitutis, suf-
 ficeret vestros impetus repellere, sufficeret cuniculos suffodere, ac

D

stra-



Stratagemata vestra detegere. Sed placuit P. Valeriano tormenta
Biblistica in ipsos Biblistas convertere, ipsdemque castra vestra &
circumvallationes dejicere. Placuit eidem tanquam veterano militij
eruptionem tentare, quã

Pontificis Romani auctoritatem assereret; modo ante liceret
cognoscere, quonam clypeo ab erroribus Ecclesiæ docentis pars ad-
versa se protegeret; ne scilicet cuiuscunque Prothei subijceretur ludi-
ficationibus, varijs figuris, & repentinis mutationibus.

Pag. 6. 7.

Quicquid autem garrias, times Croci, & tremis; non prodens
Ecclesiæ tuæ sententiam, quã tenearis, vel in terram dei ciendus,
vel in ipso aëre Reformato extinguendus; ut qui nosti ex ea quid li-
bet probari, quidlibet destrui, secundum cuiusque privatam vertigi-
nem. Interim viginti octo quæstionibus, tanquam pulverulentus
Doctor, ingentem excitas pulverem, tum ut securè lateas, tum ut
simplicium oculis, sub velamine tuendæ veritatis, aspectum veri-
tatis eripias. At verò isti pulveres, quantumcunque excæcent assecclas
tuos, tamen vel ad halitum oris Romani dissipantur; cum apud nos
probè constet, quid fide Catholicã credendum sit, & quid terminos
scholarum non egrediatur.

Pag. 8.

Frustra tibi deinde persuades, & temerè alijs persuasum cu-
pis, rem totam, impulsoribus Capucinis, à Principe agi, de quo ipse
fateris, quod *in viris & quidem valde prudentibus censebatur*, quam-
diu vestræ confessioni erat addictus. Nullus prudens credit,
Principem quem tu impudenti nimis ore seductum appellitas, à sua
prudentia excidisse, quando propriã industriã, alijs auditis, quid fa-
cto opus sit, determinat. Sed tibi familiare est, Croci, in Principem
malignas laudes ingerere, ut tanto securius deinde eius honori detra-
has, sic non raro

*ferrum miscetur olive;**Et quam fert laudem dextra, sinistra negat.*

Pag. 9.

Quis ignorat, Principem Calvinianæ confessioni fuisse ad-
dictum, magnum ingenium sortitum, sollicitè educatum? an ideò
tuum non erat ad propositas quæstiones, pro ordine disputatio-
nis respondere? an ideò Principis desiderio obsequendum non
esse, tua dictabat humanitas, tua urbanitas? Non finxerunt sibi
eiusmodi monstra ex Ordine Minorum Capucini, sed apertè &
breviter pro doctrina Romano-Catholica responderunt? Doctor
Habera-

Haber Korn, cum suis, non recusavit puri, (ut vocant) Lutheranis
 mi essentialia propalare: Doctor Calixtus Ecclesie suae fundamen-
 ta, cardinibus Marci Antonij de Dominis sese convertentis, aliqua-
 tenus exhibuit; quamvis non cuilibet mox pervia: Ubi Reformata,
 ut tu dicis, religionis, in qua sola aeternam salutem obtineri posse sa-
 pius Cassellis deprædicas, necessaria principia? quid impedit quo mi-
 nus ea de promas? in illis enim totum negotium vertitur. at tu rursus di-
 laberis ad cavillationes de modo disputandi, tanquam dubius ex quo
 protocollo authentico disputandum sit; cum nihilominus tam ig- Pag. 10.
 narus non sis quin intelligas agi de utriusque partis publicè sub
 quocunque tandem titulo in præsentia causa exaratis & impressis
 actis.

Malignitas verò tua in Celsissimum Principem, iterum sub Pag. 9.
 specie laudis se exserit, quando dicis Calvinianos, stupendum in tot au-
 thoribus, quos ipse nominavit, intra intervallum non admodum longum lectis
 inexhaustum vidisse laborem. cum tamen Princeps dicat, se secundum
 tempora & sui ingenij vires eos consuluisse super articulis præcipue contro-
 versis.

Cavillaris item in verbo cogimur, vel nesciens quid dicas, Pag. 12.
 vel quærens unde non raceas. Ex S. Augustini enim quas adducis
 sententijs, nihil probas: quamvis si hunc super modo intelligendi &
 explicandi S. Scripturam admitteres arbitrum, ad eius vocis soni-
 tum muri infidelitatis mox corruerent. Sed perpetuis digressionibus
 vagaris Croci,

Frustraque Laborem

Ingratum trahis.

Quid enim ad rem præsentem facit, quod Capucinis expro- Pag. 13.
 brandum duxisti: Transferunt quidem aliqui de vestra ad nos familia. At ea
 singularis est D. E. I. gratia. illa fecit, ut raro & admirando Moysi exemplo
 inducti eligerent potius simul malis affici cum populo DEI, quam temporarijs
 commodis peccatis frui. illa fecit, ut maiores arbitrarentur divitias probrum
 Christi, quam Aegyptiorum thesauros. Obruor, ut ingenuè fatear, hu-
 ius hominis nimis garrulitate, qui non intelligit quæ effutit, & plus
 peccat, quam ego possim emendare: nam postquam multa correxe-
 ro, tamen

Quodcumq; relinquam,

Maius erit.

D 2

Tran-

Transierint ad vos aliqui de familia Capucinatorum; mirum non est, si levis palea procellis errorum agitata leviter avolet ab area Domini. De prædica, quantum vobis, singularem Dei gratiam, nos Deum admiranda simul & tremenda verebimur iudicia. Non dedit illa gratia, ut pristinam fidem leves illi homines irritam facerent, & aeternæ damnationi nisi resipiscant, sese subducere possint. Bernardini potius, Ochini, quam Moysis exemplum secuti; quænam enim temporaria peccati commoda dimittere possint, quibus in sua Professione iam tum renunciaverant? & quibus ex vitæ suæ instituto non minus frui licebat, quam illis Ægyptiorum thesauris, quos nec possidere nec appetere poterant. Scilicet qui ex votis cœlibatus & paupertatis, ad connubia & lautiores epulas properant, ij malis cum populo Dei affici eligunt, & qui obedientiæ iugum excutiunt, ij probrum Christi amplectuntur.

Quod verò P. Valerianum traditis propter commendatum Ecclesiæ Romanæ splendore, ex iniqua procedit relatione. Quis iniquè ferat laudari sponsam Christi à varietate, quæ eam Dominus circumdedit? Quis iniquè ferat narrantem, quantâ circumspeditione Romæ procedatur in tractandis rebus fidei, ad amoliendam perversam persuasionem, quod omnia ibi pro libitu gerantur? Aut reticendum hoc putavit, qui tibi malè retulit, quasi eo argumento vir doctissimus uteretur, aut tu id ipse putasti malâ fide supprimendum. Cerre, nec tibi nec isti qui talia maligne explicavit oblatus est pileus Cardinalitius; quasi digna subiecta inveniri nequeant, nisi ex inflatis tumidisque Prædicantibus.

Page 5.

Miraris, P. Valerianum scripisse, *sibi non licere tecum ullam continuare tractatum Theologicum, eo titulo prohibitum, quem ipse divinare possis.* Et clamas, te non esse ariolum, non coniectorem, non divinum, nec versatum in ariolorum umbra. Audimus, & credimus: imò si vis, credemus te nec magum esse, nec sortilegum, quamvis doceas, te nullum Dei præceptum observasse. Sed desine eiulare & clamare, desine ridere & stridere, sicut dæmones in ore eorum quos excruciant, dum & ipsi excruciantur; ratio in promptu est; Vidit P. Valerianus te à tractatu Theologico ad scommota, ad suspiciones, ad coniecturas dilabi; te nec tuo honori parcere, quò Principis honorem vellices; idèque dixit, sibi non licere tecum ullum continuare tractatum Theologicum; quod cum iudicaret te non latere, dixit te in ipsam posse divinare. Cum Doctore Calixto non recusat continuationem; audiens

imò

in eo virum loquentem, non vetulam altercantem, & stridentem.

Tandem petis, probari indicationem Ecclesie nostrae, omni ^{Page 15.} tempore verae & infallibilis. Faciamus istud breviter. Apostolus dicit de Ecclesia, quod sit *columna & firmamentum veritatis*. Atque hinc vos ^{1. Tom. 3.} ipsi nobiscum intelligitis, Ecclesiam universalem nunquam errare in ^{15.} articulis necessarijs. Nos autem dicimus: illam limitationem, de immunitate ab errore in necessarijs solis, carere fundamento Scripturarum: Proinde agnoscendam esse Ecclesiam universalem omni tempore veram & infallibilem: veritate & infallibilitate divinorum eloquiorum nunquam deficiente. Ista Ecclesia universalis, primis quadringentis post Christum annis, fide & charitate iungebatur Episcopo Romano, vobis non dissentibus. Haec rursus Ecclesia vel hucusque mansit vera & infallibilis: vel illa deficiente, mansit alia vera & infallibilis. Si haec ipsa mansit vera & infallibilis: iam tenemus, quod erat probandum. Sin vero illa deficiente, mansit alia vera & infallibilis: necesse est, ut ea designetur; quod eo casu expectabimus.

Iterum petis probari, quod fide saltem implicita omnia, quae ^{Ibid.} circa fidei doctrinam fuerint decreta in Concilijs generalibus approbata à Romano Pontifice, unusquisque sub anathemate credere teneatur. Faciamus id rursus breviter. Vi promissionum Christi, fide ^{Matth. 28.} saltem implicita omnia, quae circa fidei doctrinam ab Apostolis ^{Ioan. 14.} decreta sunt, unusquisque sub anathemate credere tenetur. Cumque ^{Ioan. 16.} eadem promissiones, uti fatemini, pertineant ad successores Apostolorum: illique, ut fatemini, fuerint Rectores Ecclesiarum, qui primis post Christum quadringentis annis fide & charitate iungebantur Episcopo Romano: Necesse est, ut fide saltem implicita omnia, quae circa fidei doctrinam ab istis Rectoribus fuerint decreta, unusquisque sub anathemate credere teneatur. Eadem autem est ratio sequentium temporum, sicut diximus de Ecclesia.

Petitio tua, Croci, agit de generalibus Concilijs ab Episcopo Romano approbata: & de iisdem agit nostra responsio. Hinc ad rem non facit: an à Pontificis Romani confirmatione suspendatur Concilij infallibilitas; uti nec alia, quae addis similia. Si petis, quomodo nobis constet, hoc vel illud Concilium fuisse legitimum; consule, quem allegas, Bellarminum, *Lib. 2. de Conc. cap. 9.* illis enim id fuit evidens, qui Concilijs interfuerunt. Pergis deinceps: ^{Ad hoc requirit, ut Page 166.} *Episcopi à Christo habeant potestatem iudicandi.* Sed quis unquam negavit.

Episcopis eam potestatem nullus, quod nos sciamus. An habeant suam potestatem dependenter à Romano Pontifice; huc non pertinet; neque opus est, ut decidatur: cum inter omnes constet, Episcopos, tanquam successores Apostolorum, habere potestatem iudicandi à Christo. Atque ita cessat totus tuus apparatus. Nos verò Deum rogamus ut Illustrissimum Celsissimumque Principem Ernestum in agnita Catholicâ veritate confirmet & corroboret; Protestantes illuminet, ut depositis erroribus Catholicæ pacis & communionis necessitatem perspiciant, amplectantur & teneant. Omnes denique una Fide, uno Spiritu, una Charitate sub Christo capite tanquam ordinata membra coniuncti, hic in terris vivamus unanimes, & Deo nostro in regione lucis & pacis post hanc vitam, fruamur immutabiles.

FINIS

nt
ri-
o-
n-
m
in
l-
e-
na
t-





154887

ULB Halle 3
002 639 602





5b.

AB 154887

154887







REFVTATIO
Sinceræ & Christianæ (ita nuncupatæ)
RESPONSIONIS
IOANNIS CROCII DOCTORIS
CALVINISTÆ CASSELLANI,

Ad Iteratas Literas,

Q V A S

ILL.^{mus} ET CELS.^{mus} PRINCEPS
E R N E S T V S
HASSIÆ LANDGRAVIUS

Ad Theologos Francofurtum Religionis causa e-
vocatos dederat,

P E R

R. D. IOANNEM DE VILLEMAL,
*Ser.^{mo} Principi Carolo Lotharingia Duci à Secretis,
eiusdemq; Eleemosynario & Sacellano.*



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud IODOCUM KALCOVIUM Bibliopolam.

M. DC. LII.

